



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 15. Brunsvico-Luneburgicus Dux ad fidem Catholicam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

cipe Saxo Weiffenfelfensi acriter ob-
strepente, & apud Cæsarem interce-
dente, ut hæc Ecclesia Catholicorum
expensis rursus erigeretur.

Sæc. XVIII.
A. C. 1709.

§. XV.

Brunsvico-Luneburgicus Dux ad fidem Catholicam reversus.

Generosa Lutheranae sectæ ejuratio, *Theatr. Eu-
ropa. t. 18.*
qua Elifabetha Christina Josephi
Imperatoris Conjux præluxerat, An-
tonio Ulrico Brunsvico-Luneburgico
Duci Religionis suæ falsitatem dete-
gendi occasionem præbuit; cum enim
Princeps ingenii acie, & scientiarum

*Fabri
Staats-
Kanzley
t. 17. p. 176.*

ubertate præstantissimus esset, ex assidua utriusque Religionis librorum lectione, crebrisque colloquiis de prima sectæ suæ origine habitis jam dudum de ejus veritate dubitabat. Comperto Ducis consilio Prædicantes omnem movebant lapidem, ut proposita solverent dubia, his tamen satisfaciendo imparibus Dux agnito errore, cum non modo Catholici omnes, sed etiam Prædicantes sui ac præprimis Helmstadienses (*) profiterentur, Ecclesiam Catholicam

D 5 licam

(*) Hi Doctores in suo responso profiterentur, quod Catholici in doctrinæ fundamento

Sæc. XVIII. licam esse veram Ecclesiam, in eaque
A. C. 1709. quemvis salvari posse, id vero de re-
 ligione Lutherana duntaxat Luthe-
 rani affirmant, omnes vero Catholici
 negent, Dux tutiorem viam esse eli-
 gendam ratus, primo clam abjecto er-
 rore religionem Catholicam amplexa-
 tus est, deque sua mutatione Pontifi-
 cem datis literis certiore reddidit,
 supplicans, ut graves ob causas hanc
 sui conversionem aliquamdiu occultam
 tenere velit. Sequenti tamen anno
 Bambergæ in Ecclesia Cathedrali sub
 Missæ solemnia in manibus Lotharii
 Francisci Moguntini Archiepiscopi pu-
 blice fidem Catholicam professus est,
 cujus

mento non errent, & unusquisque in eorum
 religione salvari possit, eoquod, 1. commune
 cum Lutheranis habeant fidei fundamentum,
 quia eandem fidem de Deo Patre, Filio Re-
 demptore, & Spiritu S. eundem Decalogum
 easdemque preces habeant. 2. eoquod Eccle-
 sia Catholica sit vera Ecclesia, seu cætus,
 qui audit Verbum Dei & percipit Sacramenta
 a Christo Domino instituta æque ac Protestan-
 tes, quod nemo negare potest, alias dici de-
 beret, quod omnes, qui in Catholica Ecclesia
 fuerunt, & adhucdum sunt, damnarentur,
 quod tamen nos nunquam (dicebant hi Do-
 ctiores) diximus vel scripsimus, & Melanch-
 ton

cujus exemplum ex eadem Ducali familia Anno Christi millesimo septingentesimo decimo sexto Mense Martio Augusta Dorothea Erfordiae, & Ruremundae Henrietta Christina Albertina sequebantur: Hanc Ducis conversionem Protestantes iniquissimo ferebant animo, quam tamen, cum veram sinceramque fuisse negare non possent, saltem aliquam labem aspergere non dubitabant, asserentes, hunc Ducem sub spe Ecclesiasticæ cujusdam dignitatis olim in Romano Imperio consequendæ religionem Catholicam amplexum fuisse: Ast quam denique hic Dux jam tum

Sæc. XVIII.
A. C. 1709.

ton ipsemet in sua epitome examinis dicit: *Ecclesia Catholica semper fuit vera. Hæc Ecclesia docet, quod nemo nisi per Jesum Christum Mediatorem Deum inter & hominem salvari queat, quod peccata remitti nequeant, nisi per ejus Passionem & merita, circa poenitentiam & bona opera (addit) credo, quod Catholici his in rebus cum Protestantibus conveniant, & tantum circa modum sese explicandi differant, imo ipse Lutherus tom. 4. p. 320. ait: Scimus, quod in Papatu sit vera Scriptura S. verum Baptisma, vera Sacramenta, vera clavium potestas ad remittenda peccata, verum Ministerium Verbi Divini, vera Missio ad illud prædicandum, verus Catechismus, verus Christianismus. nucleus veri Christianismi.*

Sæc. XVII. tum septuaginta ferme septem annos
 A. C. 1709. natus, & absolutus sui Ducatus Domi-
 nus, sperare potuisset, aut voluisset?
 de cetero Dux Catholicis, ut Ecclesiam
 Brunsvici erigere possent (*), indulfit,
 petiitque a Pontifice, ut Sacram Eu-
 charistiam sub duplici specie sumere sibi
 liceret, quod tamen Clemens XI. ei-
 dem denegavit, die vero prima Fe-
 bruarii

(*) Jam die 22. Martii Anno 1692. inter
 Leopoldum Imp. & Ernestum Augustum
 Brunsvico-Luneburgensem Ducem convene-
 rat, ut Hannoveræ statim, & Zellæ post
 Georgii Guilielmi Ducis obitum Catholicis
 propria Ecclesia & Schola eorum sumptibus
 erigenda unacum proprio cæmeterio, conce-
 deretur, eique publicas exequias celebrare,
 eorumque cadavera publice ad sepulturam
 comitari &c. liceret. Ad novam autem hanc Ec-
 clesiam Franciscus Petrus Baro de Wämpel
 suffraganeus Ratisbonensis pecunias colligendi
 facultatem die decima quinta Septembris An-
 no 1710. dedit, ubi etiã ex Catholicorum
 munificentia 30440 fl. collecta fuere. Cete-
 rum Dux ad præcavendos Protestantium tu-
 multus suis subditis pollicitus est, quod Lu-
 theranæ sectæ libertatem juxta *Corpus Do-*
ctrinæ Julicæ conservare, nil immutare, nulla
 monasteria aut bona Ecclesiastica Catholicis
 adjudicare, & duntaxat pro se duos Sacerdo-
 tes, nullum autem Jesuitam tolerare velit.

bruarii anno sequenti sequentem epi- Sæc. XVII.
 stolam paterno affectu plenam ad eum A. C. 1709.
 dedit. „Occurrimus expansis Paternis
 „ulnis in amplexum nobilitatis tuæ ul-
 „tro ad nos properantis: nec in tanto
 „nostræ charitatis æstu, neque inter
 „erumpentes ab oculis nostris uberes
 „præ gaudio lacrymas, satis explicare
 „possumus, quam exultaverit, quave
 „lætitia perfusum fuerit cor nostrum,
 „ubi ex tuis literis, necnon ex his,
 „quæ nobis significavit Dilectus Filius
 „Annibal Albanus noster ex Germano
 „Fratre secundum carnem Nepos, in-
 „telleximus Te, abjecto, ac ejurato
 „hæreticæ pravitatis errore, agnitæque
 „ac recepta Catholica veritate in sinum
 „sanctæ Matris Ecclesiæ convolasse,
 „satis quidem esse poterat ad leniendas
 „ingentes curas, quibus pro inaudita
 „præsentium temporum iniquitate cir-
 „cumdamur, lucrum unius animæ, cu-
 „jus pretium Christus sui sanguinis ef-
 „fusione detexit; sed uberior sane gra-
 „tulationis causa, Te ad castra veræ
 „fidei accedente, nobis suppetit, quan-
 „do tam salutare consilium ab eo su-
 „sceptum fuisse perpendimus, qui
 „nedum spectabilis est ob insignia
 „inclytæ stirpis decora, sed & ob ex-
 „celsæ, ac non vulgariter eruditæ
 „mentis præstantiam, tantum sibi
 „no-

Sæc. XVIII. „nominis, atque authoritatis apud
 A. C. 1709 „omnes conciliavit, ut, cum nihil
 „a te, nisi scite, ac provide confi-
 „tutum fuisse plerique merito existima-
 „turi sint, sperare fas sit uberes fructus
 „tuo exemplo ad incrementum Ortho-
 „doxæ religionis, Deo propitiante, esse
 „consecuturos, qua nos spe mirifice
 „erecti ac confirmati parum metuen-
 „dum esse ab iis arbitramur, qui suo
 „cæno incubantes, suisque erroribus
 „involuti, quemadmodum ægro, livi-
 „doque animo deliberationem tuam ac-
 „cepturi sunt, ita forte contendunt
 „molestias tibi multas ingerere, teque
 „viam salutis ingressum omni studio
 „revocare, ut retro respicias: confidi-
 „mus enim, quod tu ea animi magni-
 „tudine, qua contritis eorum laqueis,
 „in libertatem Christi per verum cul-
 „tum Te vindicasti, eadem quoque
 „ipforum conatus, atque molimina fe-
 „liciter evades, qua in re quamvis
 „credamus tuam dignitatem tibi fore
 „præsidio satis valido, ad repellendos
 „nefarios hujusmodi ausus, si quid ta-
 „men ad confovendum, propugnandumque
 „propositum tuum, & ad pa-
 „randam tibi tranquillitatem conferre
 „poterit authoritas nostra, pro certo
 „habere debes, eam tibi constanti ope
 „esse perpetuo affuturam.

Verum

„Verum ne quid tibi interea desit Sæc. XVIII. A. C. 1709.
 „ad integritatem meriti, & ad perfectio-
 „nem instituti operis, oportet profecto,
 „ut animum, quo nunc es, palam pro-
 „ferre ne differas: ut quid enim fines
 „insigne Dei beneficium in abscondito
 „tui cordis diutius delitescere? quæ-
 „rant illi latebras abdantque sensus suos,
 „ac silentio tueantur, qui ambulant in
 „invio, & non in via, & in tenebris
 „errant; tu vero jam tandem in eam
 „lucem, quam tibi Pater luminum mi-
 „sericorditer ostendit, fidenter emerge,
 „ac publice profiteri Catholicam veri-
 „tatem, quam es amplexus, confun-
 „dantur illi, si qui erunt, qui propterea
 „tecum iniquius agunt; tu vero probe
 „consciis, cui credidisti, confide; su-
 „stinentes enim, ac confidentes Domi-
 „num non confundentur, imo vero non
 „interituum præmium accipient, si
 „quod corde gestant, palam ore pro-
 „fiteantur. Porro econtra scriptum est,
 „quod filius hominis, cum venerit in
 „Majestate sua, erubescet eos coram
 „angelis suis, qui illum coram homi-
 „nibus erubuerint. Ex his vim, &
 „magnitudinem nostræ erga Te dile-
 „ctionis, & Zelum, ac sollicitudinem,
 „quam de tua salute gerimus, depre-
 „hendes; dum nos interim plura apud
 „Deum precibus nostris agere non o-
 „mitte-

Sæc. XVIII. „mittemus, ut ille suorum munerum
 A. C. 1709. „affluentia in Te perficiat, quod mi-
 „sericorditer cæpit; in cuius boni au-
 „spiciûm Apostolicam benedictionem
 „Nobilitati tuæ peramanter imperti-
 „mur. „

Eosdem gaudii sensus Pontifex apud
 Lotharium Franciscum Moguntinum
 Archiepiscopum effudit, simulque die
 duodecima Aprilis Ducem hortatus est,
 ut Catholicæ fidei professionem, quam e-
 misit, publicam reddat, quatenus illi, qui
 errant a fide ad ineundam salutis viam suo
 exemplo commoneantur, fideles vero cœdisi-
 centur. Hujus vero publicæ ejurationis
 documentum Archiepiscopus Mogun-
 tinus summo Pontifici submitit, ac pro-
 pterea a Papa die decima nona Maij
 paternis literis honoratus est. Ponti-
 fex vero Duci duas tabulas ab insignium
 prorsus pictorum manu depictas, alte-
 ram, quæ Christi ingressum Jerosoly-
 mitanum, alteram, quæ imaginem
 B. V. cum Puero Jesu representabant,
 in paterni amoris argumentum unacum
 literis die vigesima nona Septembris
 missis dono dedit, & per Ludol-
 phum Guilielmum Majus Canonicum
 transmisit.